



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Art. 7. De peccatis Militium

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

Articulus Septimus.

De peccatis Militum.

1. **P**eccant contra fidelitatem proditores, factiosi, cum hostibus paciscentes.
2. Qui in defendenda civitate speculatores positi obdormiunt, agredientem hostem vel non denuntiant, vel non repellere conantur.
3. Qui sua infidelitate vel positive suam stationem, aut etiam civitatem, hosti produnt, vel negative non resistentes, viam parant ad faciliorem occupationem.
4. Qui secreta militiæ revelant: ex qua revelatione, sua pars à consecutione alicujus victoriæ præpeditur, vel ab adversa damna reportat.
5. Peccant qui mandatis obedire detrectant, vel tergiversantur, vel ex culpa sua aliquod mandatum vel pactum prætereunt.
6. Peccant contra fortitudinem militarem, qui nec in duris se exercent, nec in acie strenuitatem ostendunt, nec in defensione constantiam: ad fugam magis habiles quam ad hostis persecutionem.

7. Pec-

7. Peccat miles cum rusticos aut hospites suos percutit, affligit & variis modis vexat, aut ab eis quæcunque cupit extorquet. Taceo stuprationes Virginum, invasiones faminarum, ruinas & incendia domorum, dissipationes mobilium, quæ his temporibus militibus quotidiana sunt.

8. Peccant qui fraudulenter culpam aliquam Civi aut Rustico imponunt, ut hoc prætextu in bona illorum involent, multas & pænas pecuniarias imponant, illos incarcerent.

9. Peccant qui fidem hosti datam non servant vel quo vis modo violant aut fraudulenter interpretantur.

10. Peccant qui hostibus captivis injurias graves inferunt, illos calumniis vexant, & durius tractant, absque ulla humanitate.

11. Peccant qui cives & rusticos hostes spoliantes, cum non resistunt, verberibus concutiunt, ijs injurias irrogant, & quas-cunque barbaries in eos exercent.

12. Qui in imbellem fæmineum sexum, non tantum per concubitus & tactus illicitos, sed etiam per inverecundas actiones

&

& denuntiationes involant, in hoc bestiis crudeliores.

13. Peccant qui dum hospitia designata vel tumultuarie accepta occupant, patronos domorum divexant, familiam concutiunt, & omnis generis nequitias exercent, quæ lubent prædantur, pecunias extorquent, domos dilacerant, ferramenta plumbum & alia detrahunt.

TITVLVS XXXII.

De Duello.

Articulus Vnicus.

Quid sit Duellum & an licitum.

1. **D**uellum est pugna duorum ex condito adversus invicem pugnantium, ad mortem sibi invicem inferendam. Porro diversæ similis duelli causæ assignari possunt.

1. Cum indicitur duellum ad litem & controversiam aliquam dirimendam, ita ut ei qui superat justitia attribuatur.

2. Ob odium & inimicitiam pugnantium,